



MEMORIAM
VIRI

EXCELLENTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI
IO· IACOBI HENTSCHII

MATHEMATVM PROF' PVBL' ORD
ACADEMIAE CAES' REG' BOBORET' SOCII HONOR

A· D· XVI IVLII MDCCCLXIV

DEFVNCTI

PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
CIVIBVS ET POSTERITATI

COMMENDANT

HELMSTADII

TYPIS VIDVAE PAULI DITERICI SCHNORRII

ACAD' TYPOGA

6/1
1764,6

MEMORIAM

1771

IO JACOBI NITSCHII

PROFESSORIS MATHEMATICARUM
AC ACADEMICI

IN UNIVERSITATE HALLENSI

SCRIPTUM

PROBROGII DE SEPTUAGINTA

ANNIS

IN HALLE

MDCCCLXXI

MDCCCLXXI

MDCCCLXXI

MDCCCLXXI





Valer ad laudem doctrinae mathematicae, quod
eius cultores passim praedicat antiquitas, ab
ambitione et immoderatis cupiditatibus alienos,
vitam innoxiam in rerum excellentium medi-
tatione consumere. Sic enim de Astronomiae
repertoribus Ovidius: a)

Credibile est, illos pariter vitisq; locisque

Altius humanis exseruisse caput.

Non Venus aut unum sublimia pectora fregit,

Officiumve fori, militiaeque labor:

Nec levis ambitio, persusaque gloria suco,

Magnarumve fames sollicitavit opum.

Est quidem hoc commune liberalibus studiis, ut animos
A 2
fin-

a) *Faustor. I, 299.*

sincere sibi deditos recta rerum aestimatione, atque adeo inanium bonorum contentu, imbuant. Et qui ingenii operibus et perpetua agitatione mentis delectantur, facile alia negligentius habent, quae in bonis fortunisque uulgo censentur. Sicut de poetis affirmat Horatius: b)

- - - - - *Vatis auarus*
Non temere est animus, uersus amat, hoc studet
unum. cet.

Sed artibus mathematicis haec uis esse uidetur quodammodo peculiaris, quod non solum magna rerum sublimitate et excellentia suos alliciunt cultores, sed etiam accuratam intentionem animi, pertinax studium, assiduamque meditationem requirunt, et deuinctos adeo sibi animos ab aliarum rerum curis et cogitationibus facile abstrahunt

Intellectum hoc olim est in Anaxagora Clazomenio, quem solertissimum clarissimumque naturae et astrorum inuestigatorem antiquitas perhibet. In hunc plane conueniunt, quae Ouidius de primis Astronomiae cultoribus dixit, et Cicero c) praecipue refert inter eos, qui otium et quietem secuti a publicis officiis totos se ad cogitationem rerum transfulerunt, et sola scientiae fruuitate delectati sunt. Quae eius mens et incredibile studium satis apparuit, quum peregrinatione studiorum caussa suscepta agros et possessiones suas aliis colendas reliquit, quas reuersus cum desertas uidisset, *non essem, inquit, ego solus, nisi ista peruissent.* d) Idem honorum aequae ac diuitiarum con-

b) *Epist. II, 1, 119.*

c) *De Orat. III, 15.*

d) *Valer. Max. lib. 8, c. 7. n. 6, in extern.*

contemptor, quum apud Periclem, qui tum omnia fere
poterat Athenis, multum gratia ualeret, cumque suis
saepe consiliis in re publica gubernanda adiuuaret, tamen
ipse neque rempublicam unquam gerere, neque gratia et
auctoritate Periclis abuti ad honores adipiscendos uo-
luit. e) Sed ex multis Anaxagorae dictis factisque illud
maxime nunc mihi sumo, quo, quam ipse ex studiis ex-
spectaret animi delectationem, pulcherrime declarabat.
Nam interroganti, quisnam esset beatus, *non erit ille*, in-
quit, *diuitiis et honoribus abundans, sed aut exigui ruris,*
aut non ambitiosae doctrinae fidelis ac pertinax cultor, in se-
cessu, quam in fronte, beatior. f) Scilicet haud externo
splendore meriendam esse ait felicitatem ueram, sed ei
magis conuenire cum tenuitate fortunae. Ab hac enim
magis abesse curas et sollicitudines, quibus qui implicen-
tur felicitate frui non possunt. Igitur beatos fere inueniri
inter eos, qui exigui ruris cultores innoxio quaestu uitam
sustentent, suo contenti et cupiditate uacui, eos item,
qui doctrinae pura simplicisque dulcedine capti hac una
omnes uitae molestias et aegritudines leniant. Sed do-
ctrinam, quae beatum faciat, uult esse *non ambitiosam*.
Ab ambitu honores petentium, qui arte multa, presen-
tatione assidua, et omni assentationis et officii ingenio el-
aborabant, ut gratiam populi assequerentur, et plurima
comitiorum puncta ferrent, ambitiosa dicta sunt alia,
quibus affectato studio gratia, fama et gloria quaeritur.
Atque hinc doctrina est ambitiosa, quae ostentationi et
gloriae seruit, atque igitur interiora artium, quae diffi-
culter arripiuntur et minus parent, negligit, obuia ma-
gis et leuia, quae ornatum capiunt, et plurimum ingenii

A 3

apra

e) Plutarchus in uita Periclis.

f) Val. Max. l. 7, c. 2, n. 9, extern.

apta sunt, uendit, uera solida et frugifera minus curat, quam speciosa et noua et iucunditate placitura. Qui ita doctrinam profitentur, sibi quidem omnium maxime placent et beatissimi uidentur, sed uerae scientiae fructum non capiunt, affectato laudis studio parum proficiunt, et quam apud imprudentiores fortasse colligunt gratiam, apud peritiores effundunt. E contrario quae non ambitiosa doctrina est, propter semet ipsam expectatur, solidam rerum cognitionem, incrementa artium et usum reipublicae spectat, et in ista ueritatis inueniendae dulcedine partum animi longe nobilissimum praebet, qui multi continuique laboris taedium leuet. In huius igitur studio merito beati uidentur, qui eius *fideles pertinacesque cultores* sunt, h. e. qui doctrinae studio optima fide addicti, nihil inde praeter pulcherrimae cognitionis fructum quaerunt, nec ab ista adipiscenda ullo incommodo deterrentur. Sed sunt tamen illi, ut aiebat Anaxagoras, *in secessu quam in fronte beatiores*, h. e. intra animi sui conscientiam fruuntur *oblectatione industriae et honestissimi studii*, quae magna pars est ipsius beatitatis, quod omnia, quae honesta et praeclara, gaudiorum plena sunt, quamquam exterior eorum species idem haud profiteri uideatur. Ut enim secessus Latinis dicitur remotior a frequentia locus, uel secretior aedium pars, frons contra anterior, exposita publico, quippe et frontes ianuarum dixit Ouidius, ita Valerio secessus hoc loco est secretum animi, a quo persaepe discrepat uultus et habitus et quicquid aspectui pater. Sic Quintilianus g) Grammaticam dicit *plus habere in recessu, quam in fronte promittat*, eoque declarat, interiora huius disciplinae intrantibus plus apparere utilitatis, quam in primo aditu

osten-

g) *Instr. Orat. 1, 4.*

ostentare uideatur. Ita qui agitatione mentis et cognitione rerum delectantur, et propterea lautioris rei curam omittunt, eam plerumque speciem praebent, ut destitutos iis rebus credas, quae beatos efficiunt, atque illi tamen pura et sedata fruuntur uoluptate animi, quae quia non leuiculis et transeuntibus rebus alitur, sed solidis nititur animi bonis, aequabilis sibi et constans est. Haec enim est, quae effecit, ut sollertissimi quique priscae memoriae uiri, quamquam ab omni uitae iucunditate recessissent, prae multis aliis sibi beati uiderentur, ut Eudoxus mathematicus, coeli et siderum motu contemplando, in excelsissimi montis cacumine consenesceret, ut Archimedes in numeris lineisque defixus clamorem uictoris militis et captae urbis strepitum non curaret, ut denique Aristomachus in apum moribus obseruandis iucunde aetatem ageret. *Confer*, inquit Cicero, h) *Democritum, Pythagoram, Anaxagoram, quae regna, quas opes studiis eorum et delectationibus antepones?*

Quem olim uerbis designabat Anaxagoras, et inprimis beatum iudicabat, hunc in nostro nuper Collega, Viro Excell. IO. IACOBO HENTSCHIO, Mathematicum Professore P. O. quum in uiuis esset, quodammodo uidere licuit, *non ambitiosae doctrinae fidelem pertinacemque cultorem, in secessu quam in fronte beatiorem.* Ab ineunte aetate, quum litterarum studiis destinatus esset, singulari cupiditate in rerum mathematicarum scientiam ferebatur, easque tam dextre et sollerter arripiebat, ut doctores eius profiterentur, non habuisse se alios, qui aptiore ingenio maioreque industria ad eas artes accessissent. Porerat fortasse ex alio studiorum genere certiora emolumenta

ex-

h) *Tusc. V, 23.*

expectare, si delibatis leuiter mathematicis trita vulgari-
 que uia properare ad meritam uoluisset. Nec ignorabat ra-
 ros hodie inueniri, quibus e geometrico studio lautior for-
 tuna et ampli honores essent. Inuitabat tamen disciplinae
 excellentia, naturae rerum indagandae pulchritudo, et
 mentis acuendae et exercendae oblectatio, ut totam se
 addiceret studio mathematicum, neque in eo quicquam
 uanae cupiditati et gloriolae daret, sed animum utilissima
 aequae ac iucundissima cognitione pascere, inseruire pu-
 blicae utilitati, et in tot tantarumque rerum huius uni-
 uersi excellentia et pulchritudine summi immensique ea-
 rum molitoris magnitudinem cernere propius et cele-
 brare cuperet. Sic fidelem doctrinae mathematicae cul-
 torem cum se praestaret, seuera lege in ea cupiebat pro-
 ficere, et puro eam pectore amplectebatur, ut ubique
 reclusam indagare ueritatem, amplificare opes scientiae,
 et usibus publicis accommodare studeret. Operam au-
 tem tam continentem et pertinacem infumebat, ut assidu-
 is meditationibus infirmata ualitudine, et uitio corporis
 contracto, uix permoueri ad temperandum et remittend-
 um studium posset. Doctrina eius denique quam non
 ambitiosa fuerit, satis declaratum scriptis scholisque suis
 dedit, quibus abhorre se ab hominum nouatorum co-
 natu ostendit, qui disciplinas saepius interpoles fingere
 ac mutare pro lubitu, et plausibilia magis quam uera et
 solida dicere, nouitatis gratiam captantes, uolunt, do-
 ctrinam solidiorem ad primos uerosque fontes reuocare,
 rectam in primis cogitandi rationem ex Euclide restituere
 conatus est, grauitate ubique et seueritate disseruit, nec leno-
 cinis uerborum asciticoque lepore incrustare doctrinam,
 aut iis legeantiam audientiumque studia uenari solitus est.
 Sic uidebatur in secessu quam in fronte beator. Nam
 qui nulla ambitione sollicitatus esse magis, quam uideri,

eruditus uolebat, interiorē doctrinam sectabatur, fucum et speciem et inanem gloriam fugiebat, fruebatur interim secreta animi uoluptate, quam sibi recte positi in artibus studii conscientia, et multifariae cognitionis dulcedo propinabat. Nunc certe beatus plurium laborum studiorumque metam attingit, postquam secessu a rebus humanis, plurimisque uitae molestiis, factō ad aeternae quietis sedes commigravit. Et careret sane meritissimo doctrinae suae fructu dignissimoque honore, nisi eum factō functum bonis prosequi recordationibus, et memoriam eius monumento aliquo decorare uellemus. Id ipsum hac opera efficere conabimur, qua constitutum est, quae de uita et scriptis eius ad nostram uenerunt notitiam, breuiter perscripta memoriae posterorum mandare

Patriam habuit IO· IACOBVS HENTSCHIVS ciuitatem superioris Lusatiae primariam Budissinam. Hic lucem adspexit die XX Ianuarii anno huius saeculi XXIII, honesto loco natus, patre Christiano, ciue et uietore, matre Anna Christina, e gente Bommerichia, integerrimi exempli femina. His curantibus priuatim ac domi primas litteras ac pietatis rudimenta hausit, donec exacto tertio et decimo aetatis anno in gymnasium urbis patrium deductus, et Viro Clar. BERNAVERO, tum Rectori, in disciplinam traditus est, cuius fidelem institutionem et plurima in se merita saepe gratus praedicauit. In schola per quinquennium uersatus, cum docili cupidoque discendi ingenio esset, litteras feliciter coluit, et latini, graeci hebraicique sermonis non contemnenda cognitione, caeterisque artibus instructus, quibus parari animi ad maiorem cultum solent, anno dōbōccXXI in Academiam Lipsiensem migravit. Hic quidem Philosophiae et Theologiae studio daturus operam, utriusque applicu-

plicuit animum, sed quoniam naturali quodam ductu ingenii sui in rerum mathematicarum scientiam trahi uidebatur, singularem huic et assiduam operam impendit, et sacrarum litterarum studium coniunxit, id praesertim existimans, quod saepe professus est, sine rerum mathematicarum et theologiarum cognitione pauca solide et accurate in ipsa Philosophia uel disci uel dici posse. Itaque summos cuiusque disciplinae doctores studio se audiuit, in Theologicis quidem DEYLINGIOS, BOERNEROS, HEBENSTREITIOS, in mathematicis et Philosophicis HAVSENIOS, HELNSIOS, KAESTNEROS, GOTSCHEDIOS, WINCKLEROS, BELIOS sectatus est. Ad scientiam mathematicam magis locupletandam post triennium Academiam Ienensem adiit, ibique, praeter alios praestantissimos doctores, HENRICI BERNHARDI HOFMANNI, quondam in exercitu Russico metatorum et machinatorum militarium tribuni, priuata institutione usus, architectonicen ciuilem et militarem didicit, cui propterea in eo genere scientiae plurimum se debere publice priuatimque professus est.

Sic satis instructus imbutusque cum sibi uideretur, iamque locum et facultatem opportunam quaereret doctrinae suae ad aliorum usus conferendae, rediit Lipsiam, et mox doctorum hominum suffragio summi Maecenatis, Illustrissimi Comitis ERNESTI CHRISTOPHORI a MANTEUFEL, fauori insinuatusest, cuius beneficio subleuatus maturauit consilium, quod ante ceperat, perendi honores Magistri philosophiae. Quibus impetratis, ut facultatem philosophiam priuatim docendi legitime adipisceretur, anno huius saeculi XLVIII disputationem *de idearum in uigilantibus successione seu de uigiliarum et sonni mentis humanae statu*, Mae-

Maecenati suo dicatam, publice defendit. Nec defuit aliis exercitationibus publice editis existimationem eruditorum colligere. Nam cum interiorum mathematicorum scientiam affecturus animaduertisset, haec studia uulgo negligentius, quam pro merito, haberi, et plerosque deficientem fundamentis et praesidiis mathematicis, quibus tamen reliqua superstruere studia ipsi ueteres solebant, philosophiam profiteri, id sibi operae sumpsit, ut non solum mathesin ad fontes suos reuocaret, sed etiam philosophiae praecepta et principia mathematicis deriuata, scriptis proponeret et commendaret. Hoc consilio edidit *elementa Euclidis et Philosophiam mathematicam*, ubi rectam methodum cogitandi et scientiam rerum uniuersalem ex Euclide restitutam docuit, adeoque usum Mathematices in Logica et Metaphysica singularem ostendit. Idem demonstrare in doctrina de Deo, anima et mundo propositum habuit. Et partem quidem huius materiae libello germanice scripto persecutus est, quo *de affectionum mentis humanae inuicem sibi succedentium ratione* disseruit. *) Quid autem reliqui eius argumenti perfecit, exploratum non habemus. Interim his doctrinae speciminibus sic innotescere eruditis et commendare suam scientiam coepit, ut passim a multis expeti suam operam, et inuitari se ad docendum uideret. Etenim non solum scholas mathematicas et philosophicas ipse instituebat, multa iuuenum studiosorum frequentia affluentes, sed singularem quoque institutionem plurimis Illustrissimorum Comitum aliorumque Nobilium filiis, studiorum causa Lipsiae agentibus, impertiebat, qui tanto numero ei commendari et in disciplinam tradi solebant, ut paucae diei horae ab

B 2

istto

*) *Versuch über die Folge der Veranderungen in der menschlichen Seele. Leipzig, 1756. 8.*

isto labore uacarent. Et quo facillior sibi expeditiorque docendi uia esset, ipse *Isagogen in disciplinas mathematicas* anno 1606 ccliv idiomate germanico compositam prodire iussit, arque institutionibus suis priuatis substruxit. Horas subsseciuas in singularibus rei mathematicae argumentis, scripto explicandis, posuit, quae Actis E-ruditorum Lipsiensibus curauit inferenda


Ita praeclaris eruditionis et industriae experimentis per plures annos editis, quamquam minime aucupari famam, aut fortunam sibi parare ambitiose solebat, dignum tamen fructum tulit laborum et exercitationum suarum. Nam eum Serenissimus Dux et Dominus noster CAROLVS anno 1606 cclviii in Academiam hanc, ad publicam docendae Matheos provinciam, obitu 10ⁱ NICOLAI FROBESII uacuefactam, euocauit. Auspicatus est munus sibi demandatum mense Octobri eius anni, oratione aditali in ipso natali Academiae nostrae habita, praemisso programme de *Mathefi uniuersali ad Geometriam curuarum accommodata*. Neque segniter apud nos aut infeliciter muneris sui officii functus est, graue tamen laborum studiorumque impedimentum ab aduersa ualitudine habuit, quacum ei assidue consistendum fuit. Causa fluxus sanguinis, quem haemorrhoidas uocant, subinde suppressus, obstructionesque alui et uiscerum, cum cruciatibus colicis, quibus malis saepe acerrime affligebatur, ut diu grauiterque decumberet, atque etiamsi interdum releuari uideretur, languorem tamen et incommoda corporis male affecti quam plurima retineret, et nunquam plane in gratiam cum ualitudine rediret. Quae infirmitas continua efficiebat, ut muneris aedilicii, quod pro ratione professionis suae sustinebat, negoria obiret aegre, et anno 1606 cclxi deuolutum in se ex ordine magi-


magistratum Academicum deprecaretur. Anno tamen praecedente, ut minus negotiosum et molestum, Ordinis sui decanatum gessit. Circa idem tempus diplomate Academiae Roboretanae socius eius honorarius, cum appellatione Philocari, declaratus est. Sub uere anni c180ccLXII exacerbatus subito morbus, quem diu iam gliscere in uenis et uisceribus senserat, ita affixit atque prostravit Nostrum, ut, mente simul turbata, de salute eius desperandum uideretur. Sed tandem eluctatus tam graue periculum uitae, et uiribus corporis aegre recuperatis, reputare secum coepit, plurimum ualitudinis suae interesse, ut cura et auxilio uxorio subleuaretur, et animum igitur ad matrimonium adiecit. Duxit domum die IV Ianuarii c180ccLXIII lectissimam uirginem SOPHIAM ELISABETAM, gente Schmalbruchiam, quacum coniugium concordissimum quidem, sed breuissimum, egit. Etenim superiore quidem anno meliuscule habere, et interruptos labores alacrius resumere uidebatur. Indicebat lectiones suas hibernas singulari programme, quo *potiora serierum figuratarum symptomata, quibus combinationum mysterium continetur*, declarabat, atque otium enodandis mathematicis quaestionibus infumebat, maxime illam Architecturae civilis *de fundamentis aedificiorum recte agendis, (vom Grundbau)* singulari scripto explicabat, quod in actis diurnis Brunswicensibus sub initium anni huius publicae luci exponendum curauit. Sed mense Iulio huius anni subito recruduit intestinum et inueteratum malum, uehementerque adeo infestauit Nostrum, ut aberrare cursum praedlectionum, et cubiculo se continere cogereetur. Et quidem dies aliquot spe reflectendae in melius et reparandae ualitudinis traxit, quae tamen omnis decollare uisa est, quam die XV Iulii sub uesperam ingrauescente asthma, quod dicunt, spasmodico et con-

uulſuo, plane iam ſpiritus intercludi difficillimeque me-
re coepiſſet, nec medicamenta, quae ſubito expedire me-
dici poterant, debilitatis proſtratiſque uifceribus ullam af-
ferre opem uiderentur. Itaque compoſita mente con-
uerſaque ad Deum mane ſequenti ſub horam tertiam pla-
cide exſpirauit

Sic aetatem finiuit Noſter breuem quidem, ſed opti-
mis ſtudiis laboribusque exercitam, et ſecunda magis fama
quam ualitudine exactam. Nos moeſtiſſimae Viduae do-
loris ex praematurō Mariti obitu percepti optima quae-
que ſolatia a Dei benignitate precamur, uobis autem, Ci-
ues, memoriam HENTSCHII praeclare meriti beneuole
recolendam ſtudioſe commendamus. P. P. d. XX Decembr.

cl̄ōl̄ccc̄LXIV






ULB Halle
005 350 883

3



WIP





6
1764,6

MEMORIAM
VIRI
EXCELLENTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI
IO· IACOBI HENTSCHII
MATHEMATVM PROF' PVBL' ORD
ACADEMIAE 'CAES' REG' ROBORET' SOCII HONOR
A· D· XVI IVLII MDCCCLXIV
DEFVNCTI
PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
CIVIBVS ET POSTERITATI
COMMENDANT

HELMSTADII
TYPIS VIDVAE PAULI DITERICI SCHNORRII
ACAD' TYPOGA

